

— *Micat inter omnes
Nassoum sidus, velut inter ignes
Luna minores.*

II.

Nec minorem Huic inlustrissimæ Genti *formida-
teque Tyrannis* splendorem adfert *Originum vetustas*.
Quæ, tamen etsi multis sint difficultatibus impeditæ,
tamen vel ipsa illa obscuritate suam antiquitatem lo-
quuntur. Velut annosam arguit arborem & alte fun-
datam, ad imas radicum fibras non posse penetrari;
& magni vastique argumentum est fluminis, ubi ejus
primam scaturiginem ac fontem ignoras. Sane quot-
quot heic sententiarum, quæ etiam exercitatissima fa-
tigant ingenia, sunt divortia, ad abstrusam tantum &
vetustissimam originem tendunt. Quare veram
ostendere velle, maxime esse arduum, nemo non
videt: quod tamen in præsentī hac dissertatione tenta-
re nobis omnino est propositum.

II.

Ac Iulius quidem Cæsar posteritati certissimum
& memorabile hac de re, utut breve, fragmentum
conservasse videtur. quod paullo curatius inspicere
examinareque operæ erit, opinor, pretium. Ita au-
tem Ille in *de bello Gallico* Comment. Lib. I. cap. VIII.

*HÆC EODEM TEMPORE CÆSARI MANDATA REFE-
REBANTUR; ET LEGATĪ AB ÆDVIS ET TREVIRIS
VENIEBANT:*

— *TREVIRI QUESTUM, PAGOS CEN-
TUM SUEVORUM AD RIPAM RHENI
CONSEDISSE; QUI RHENUM TRANSIRE
CONARENTUR: IIS PRÆESSE NASUAM
ET CIMBERIUM FRATRES.*

III.